266

Sigismundus Augustus DEI Gratia Rex Poloniae Magnus Dux Lithvaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiaeq etc Dominus et Haeres, Significamus his literis Nostris quorum interest universis et singulis presentibus et futuris Supplicatum fuisse Nobis Nomine Venerabilis Joannis Mlodziejowski Canonici Officialis ac Ecclesiae Parochialis Sancti Petri Plebani Sandomiriensis ut literas infra scriptas in Regestris Cancellariae Nostrae queri, et inventas describi, Sigilloq Nostro Munitas sibi extradi mandare dignaremur. Quarum literarum tenor est iste — Sigismundus DEI Gratia Rex Poloniae Magnus Dux Lithvaniae, Russiae, Prussiae Dominus et Haeres. Ad futuram Rei memoriam Significamus tenore presentium quibus expedit Universis et Singulis presentibus et futuris harum Notitiam habituris — Quia Certorum Consiliariorum Nostrorum pro parte Venerabilis Jacobi Wolski Plebani Ecclesiae Parochialis Sancti Petri in Civitate Nostra Sandomiriensi petitio Continebat Quatenus Certamen Decreti literam infrascriptam sub Titulo et Signeto Serenissimi Olim Principis Domini Joannis Alberti Poloniae etc Regis Germani et Praedecessoris Nostri charissimi pro quadam Rippa ad Ecclesiam prefatam Parochialem Sancti Petri Sandomiriensis antiquitus pertinens, de benignitate Nostra Regia eandem sub Sigillum Nostrum redire, approbare, et Confirmare dignaremur Cujus tenor in hunc Modum Sequitur — Joannes Albertus Dei gratia Rex Poloniae, Supremus Dux Lithvaniae Russiae Prussiae etc Dominus et Haeres Significamus tenore presentium quibus expedit Universis, Quomodo orta Coram Nobis inter Venerabilem Petrum Plebanum Ecclesiae Sancti Petri intra Muros ab Una, et Cives Nostros Sandomirienses Partibus ab altera, Pro, de, et Super Rippa Plebanali Ecclesiastica sub Monte qui Witowska gora appellatur sita, et praedio Plebanali Kamien dicto proterva, differentia et materia quaestionis Plebano ipso in querela deponente. Quod Cives prefati eo, vel antecessoribus suis inConsultis inrequisitisq ad Rippam Ejusmodi Ecclesiasticam aggerem et piscinam instituerunt Usum Piscinae ejusdem Si-

sibi et Ecclesiae prohibentes in suam et Ecclesiae Suae injuriam non Mediocrem et gravem, Nos Vero de justitia cujuslibet plenius experiri et proprietatem partis utriusq[ue] cognoscere cupientes Miseramus illuc Generosos Raphaelem de Lesno Curiae Nostrae Mareschalcum Gnesnensem Petrum Myszkowski Rospriensem Castellanos Joannem de Thenczyn Capitaneum Sandomiriensem et Venerabiles de Przerab Decanum Radomiensem et Bernardum Lubrawski Archidiaconum Lublinensem in Ecclesia Cracoviensi Secretarios Nostros fideles et devote Nobis dilectos qui de Nostra Commissione et Mandato locum illum videlicet Rippam aggerem et Piscinam praedicta debite circumspiciendo et rei positionem Oculis Subjiciendo fassi sunt Coram Nobis Rippam praedictam a Plebanali praefato versus Civitatem protensam et decurrentem Piscinae praedictae Contiguam et immediatam esse justitiam et jus Plebani in eo Clare profitentes atq[ue] ideo permoti hac ipsa praedictorum Commissariorum Nostrorum recognitione decrevimus et praesentibus decernimus Jus et proprietatem Piscinae praefatae in tantum, quit Rippa praedicta se extendit ad Plebanum praefatum et Ecclesiam suam praedictam pertinere, spectare, indeq[ue] sibi et Ecclesiae suae praedictae usum et utilitatem Piscinae ejusdem, respectu Ejusdem Rippae praefatae adjudicandum esse adjudicariq[ue] debere et adjudicamus tenore praesentium Mediante cum plena piscandi facultate. Harum, quibus Sigillum Nostrum est subappensum testimonio literarum Datum Sandomiriae Sabbatho Ante Dominicam invocavit proxime Anno Domini Millesimo Quadringentesimo Nonagesimo Sexto Regni Vero Nostri Anno Quarto

Nos Vero Vestigia Praedecessorum Nostrorum imittantes Sinceroq[ue] Zelo et affectu Cultum Divinum et Ecclesiam praefatam prosequentes atq[ue] Supplicationibus Consiliariorum clementiam largientes praeinsertam Decreti literam eandem in Omnibus Conditionibus, Clausulis et articulis justam esse declarantes, piamq[ue] in toto et gratam habentes Munificentia Celsitudinis Nostrae Regalis ad Sigillum Nostrum redigendam

redigendam Nec Non approbandam et Confirmandam duximus redigimusque approbamus et Confirmamus decernentes presentis Scripti patrocinio eam Robur firmitatis Obtinere. In cujus rei fidem Sigillum Nostrum presentibus est subappensum Datum Cracoviae Feria Quarta post Festum Undecim Millia Virginum proxima Anno Domini Millesimo Quingentesimo Decimo Regni Nostri Quarto Relatio Reverendi in Christo Patris Domini Mathiae Episcopi Premisliensis et Regni Poloniae Vice Cancellarji. Nos igitur Sigismundus Augustus Rex memoratae supplicationi benigne annuentes literas preinsertas in libris Cancellariae Nostrae inventas transumi Sigilloque Nostro munitas praefato Venerabili Joanni Młodziejowski extradi Mandavimus decernentes eas robur debitae et perpetuae firmitatis obtinere debere illisque non Minorem fidem quam earum Originalibus ubique locorum Ab Omnibus adhiberi Volumus Harum testimonio literarum quibus in fidem evidentiorem premissorum Sigillum Nostrum est Subimpressum Datum Lublini in Conventione generali Regni Die Vigesima Secunda Mensis Junij Anno Domini Millesimo Quingentesimo Sexagesimo Nono Regni Vero Nostri Quadragesimo — Valentinus Dębiński R.P. Cancellarjus, Relatio Magnifici Valentini Dębiński de Dębiany Regni Poloniae Cancellarji —